

Per.
Lat
020

Lateinische Jugendzeitschrift. Latin ifjúsági folyóirat. Revue latine de la jeunesse

Laptulajdonos: Katolikus Középkolai Tanáregyesület. — Sumptibus Societatis Magistrorum Catholicorum Mediarum Scholarum Hungariae. — (Praeses: Dr. Andreas Zibolen elnök.)

Administrator (felelős kiadó — Geschäftsstelle — administration), ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, XI., Fehérvári-út 13. (tel.: 269-057).

Moderator (felelős szerkesztő — Schriftleitung — rédaction), ad quem manuscripta mittantur: JOSEPHUS WAGNER DR., Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. (telefon: 268-634).

Megjelenik minden hó 20-án. — Prodit singulis mensibus die 20. Pretium subnotationis an. 1941—42: 3 pengoe, extra Hungariam 4 pengoe. Nummaria chartula (vulgo: chèque) postalis in Hungaria: 57.292. Subnotatores earum gentium unde pecuniarum transmissio impeditur, utantur schidulis «Coupon réponse international» appellatis, quarum si quis decem in epistola ad administratorem mittit, pretium annum solvit.

De 800 annis Ordinis Cisterciensis in Hungaria.


Octingenti iam anni praeteriére, ex quo Cistercienses e Gallia in Hungariam ingressi sedem primam in Cikador (Comitatus Tolna) constituerunt. Anni felices! Omnino digni, quorum memoria pietate maximã nobis in mentem revocetur atque sollemnitate iustissimã celebretur.

Summa illa auctoritas, qua Cistercienses antiqui in saeculis XI—XII. ubique Europae regnorum pollebant,¹ necnon perpetuum de eorum singulari fama virtuteque regum et optimatum iudicium effecerunt, ut mox post adventum, cognitis atque probatis eorum moribus ac meritis, totã fere gente Hungaricã faultrice uterentur. Quo factum est, ut brevi in Hungariae patrocinio summum sibi esse praesidium intellegent et omnibus grati acceptique evaderent. Quanti autem et reges, inter quos longe eminent Béla III. ille clarissimus, et viri nobilissimi Cistercienses fecerint² quantamque Cistercienses eorum erga se benevolentiam experti sint, alia monasteria³ ab illis post alia fundata demonstrant, quorum clarissima: Pilis, Bélakut, Pásztó, Szentgotthárd, Kerc, Szentkereszt, Bártfa etc., praecipue autem Zirc, Nova Clara⁴ Vallis⁵ dicta erant. Maiores nostri, quid officii, beneficii et honoris in Cistercienses contulerint, id se in rem Hungaricam ipsam contulisse existimabant. Cister-

cienses vero pro ea familiaritate, quae illis cum gente nostra erat, susceptum negotium et salutis animarum, et excolendae humanitatis Christianae et artis novae goticae introducendae et culturae agrorum et officii a regibus sibi iniuncti⁶ et legationum maxima cum fide diligentiaque gerebant et sic nihil praetermiserant in dignitate patriae augenda adornandaque.

Proh!⁶ Tempora tristia superveniebant, e quibus Cistercienses acerbissimos dolores miseri-

¹ befolyást gyakorol = Einfluss haben = être influant
² aestimaverint ³ kolostor = Kloster = couvent ⁴ Clairvaux ⁵ ráruház, megbíz = auferlegen = imposer ⁶ sajnos = leider = hélas



Abbatia Zirciensis



asque perceperunt. Impetu Turcarum et Hungaria ornata ruinis est obruta et Cisterciensibus fortuna adversa subeunda erat adeo, ut abbatiae⁷ eorum imminutae, debilitatae, immo omnino deletae viderentur. Amissis temporibus tristibus, post varia rerum discrimina, Cistercienses fortuna secunda prosecuta est. Saeculis XVIII et XIX. advenientibus non solum Cisterciensibus res iterum in integrum restitutae erant, verum etiam maius negotium susceperunt sc. iuvenum in gymnasiis litteris et virtutibus Christianis erudiendorum. Eodem tempore abbatiae de Zirc, Pilis, Pásztó et Szent Gotthard unitae sunt, quibus princeps abbas Zirciensis praeest.



Imago S-i Gerardi et S-i Emerici altare Cisterciensium Bp-ensium ornans (pinxit Lad. Ungoáry.)

in praedio Előszállás rem quantum eius rei fieri potest, agri amore et felici successu colunt et variis in oppidis salutis fidelium omni sollicitudine curaque inserviunt.

Maximum Cisterciensium vinculum est cum patria, quasi sanctioris cuiusdam necessitudinis, eamque unam diligunt atque observant, e cuius splendore et laude summam sibi capiunt voluptatem. Vehementer, etiam atque etiam rogamus Deum, ut prospero cursu saecula futura et nullis nubibus obducta Cisterciensibus servet atque dirigat et omnem dignitatem huius ordinis cum re Christiana et Hungarica coniunctam esse velit, quo uberius ac ferventius Cistercienses lucere et ardere possint. Dr. Fridericus Brisits O. Cist. Bp.

⁷ apátság = Abtei = abbaye ⁸ tempore

Alexander Magnus.

Scriptis A. Nyáry. Latine reddidit I. Guelmino Bp.

Puer quidam nominatur Alexander Magnus. Vere nomen et omen. Nam si lascivia¹ quoque sub mensuram caderet, et quis sit eminentissimus in lascivia, denotaretur in historia scholarum, hic Alexander Magnus aequae atque eodem nomine in historia rerum superbiens, Alexander Magnus, iure maximus vocaretur.

Scholam sincere et toto corde et totò animò et omni vi odit. Pater eius per singulas hebdomades² semel vel bis, vi usus, portat eum in scholam, nolentem et repugnantem et: «En hic est — inquit — domine magister, discipulus tuus dilectus! Cave³ huic puero!» (Vel potius hunc, cogitat secum magister.) Puer certe erumperet e schola, sed magister locum ei designat inter duos discipulos

robustos, et: «Curate, — iubet —, ne effugiat». Sic vi retinetur corpus, animus autem abest. Nullum verbum exaudit, nullum intellegit, est et manet asinus. A. M. = asinus magnus. Asinus non illius laboriosi generis, sed ferax et pertinax et ad nihilum bonus.

Accidit autem quodam die, ut fornace⁴ antiqua remotà (quoniam multo plus fumi, quam caloris dedit scholae) fornax nova exstrueretur eodem loco splendidissima, quae calore superfluenti implevit domicilium Musarum et in ostio suo parvo magnis litteris inscriptum erat: *Meidinger*. Nos circumstantes hunc novum focum syllabatim, legimus: *Mei-din-ger*, nescii, quid sibi velit haec inscriptio misteriosa.

Ruri eo tempore discipuli etiam post meridiem docebantur. Et quia cenare nonnunquam etiam magister ruralis⁵ solet, nos quoque e pera⁷ prompsimus, quidquid domo attuleramus, nam inter studium antemeridianum et postmeridianum otium habebamus. Illo die, cuius nunc mentionem facio, non erat tantum frigris, ut fornax nova officio suo fungi cogeretur et nos manducantes⁸ et circumstantes iterum syllabatim legebamus: *Mei-din-ger*. Sed quid sibi vellet haec inscriptio, quidve significaret, nesciebamus.

Alexander Magnus circumspexit fornacem bene, superbe. Et suspicax⁹ circumvixit dextrorsum et sinistrorsum. Et in sellam escendens, superne¹⁰ introscepit. «Tam capax est — inquit —, ut quisque nostrum recipi possit.» Quod cum negaretur, dixit: «Aspicite asini!» et sublato operculo¹¹ fornacis sese illuc demisit evanuitque, quasi devoratus esset. Adstitimus obstupefacti.

Et eodem puncto temporis irruit in classem discipulus custos¹² et: «Cavete pueri, — admonuit — iam adest dominus magister».

Finis sequetur.

¹ vásottság = Ausgelassenheit = polissonnerie ² a hét = Woche = semaine ³ custodi hunc puerum ⁴ kályha = Ofen = poêle ⁵ szótagonként = Silbenweise = syllabe par syllabe ⁶ ruri vivens ⁷ tarisznya = Ranzen = besace ⁸ rágszál = kauend essen = mâcher ⁹ teli gyanúval = argwöhnisch = soupçonneux ¹⁰ felülről = von oben her = d'en haut ¹¹ fedő, teteje = Deckel = couvercle ¹² a vigyázó = Aufseher = surveillant

Nuntii recentissimi.

Gymnasium Csurgonense 150 annorum. Hoc anno, die 2. m. Aprilis explevit gymnasium Csurgonense annum 150-um. Nos, discipuli scholae, cordibus gratis reminiscimur comitis Georgii Festetic, qui fundamentum gymnasii iecit. Primum in pago vicino erat schola. Brevi aedificium unius contabulationis¹ erectum est, in quo fere centum per annos discipuli erudiebantur. Ab a. 1883 gymnasium octo classes habet. Hic docebat *Michael Vitéz Csokonai*, unus ex excellentissimis poetarum Hungarorum, de quo schola nostra appellata est. Memoriae causa monumentum eius anno 1936 in luco gymnasii statutum est. Anno 1896 schola immigravit in aedificium magnificum unius contabulationis, quod nunc quoque sedes eius est. Ex eo tempore schola valde crevit. In luco praeclaro stant statuariae *Stephani Tisza*, *Andreae Kozma*, *Danielis Berzsenyi* et *Georgii Baksay*, discipulorum illustrissimorum gymnasii nostri, nec non porta veteris aedificii in luco (vide imaginem). Schola nostra grave opus facit, officium diligenter exsequitur. Hodie iustissime in numerum² gymnasio-



Porta veteris gymnasii
Csurgonensis.

rum optimorum referre² possumus. Intra 150 annos circa 28.000 discipulorum hic patriam Hungaricam amare didicerunt et speramus etiam posthac gymnasium Csurgonense multos egregios homines populo nostro daturum esse. *Carolina Huszár* disc. Csurgonensis.

Nuntii bellici. Milites Americani in insula Philippina *Corregidor* circumclusi Japoniis se dederunt. Etiam *Burman* fere totam Japonii occupaverunt, quam ob rem Sinenses instrumenta bellica ab Anglo-Saxonibus iam

non poterunt accipere. Angli tot provinciis amissis compensationis³ causa³ post Irac, Syriam et Persiam iterum terram defensoribus carentem, insulam *Madagascar* sociis suis pristinis, Francogallis eripere conantur, sed 7 milia militum Francorum 20 milibus Anglorum resistunt.

Nuntii de JUVENTUTE. Tres ephemerides extraneae nuper copiosius ephemeridis nostrae, IUVENTUTIS, mentionem fecerunt: *SOCIETAS LATINA* Monacensis (m. Febr., pag. 24), *Neue Zürcher Zeitung* (d. 27. m. Mart. Blatt 6), et *Schweizerische Lehrerzeitung* (d. 10 m. Apr. pag. 260). In prima ephemeride moderator *dr. Julius Dutoit* Monacensis, in ceteris *dr. Paulus Boesch* Turicensis laborem nostrum laudaverunt, de qua benignitate amicitiaeque iis magnopere obligati sumus. — Moderator IUVENTUTIS, *Ios. Wagner*, ab *Nicolao Horthy* Gubernatore Hungariae *consiliarius studiorum superior* dictus⁴ a permultis lectoribus et sociis gratulationes accepit, quibus pro testimonio carissimo familiaritatis gratias agit quam maximas orans, ut etiam in posterum ab omnibus amicis latinitatis in re nostra communi promovenda adiuvetur.

Societas Verbi Divini discipulos probos bene discentes sanos, qui missionarii fieri volunt,¹ invitavit, ut in domum missionis Ordinis Ginsiensem (*Kőszeg*) aut Budatényiensis intraturi nomen⁵ dent.⁵ Discipuli in omnes classes, testimonio autem maturitatis muniti statim in novitiatum Ordinis assumuntur. Intraturos de condicionibus uberius certiores facit *P. Stephanus Wachter* S. O. D. rector Seminarium Americani *Kőszeg*.

Gymnica. In Hungaria 700 milia iuvenum *LEVENTE* nominatorum numerantur. Mense Maio ineunte 400 horum iuvenum in urbe *Magnovaradino* birotis⁶ motoribusque certaverunt.

Pittacia Helvetia pittaciis Hungaricis permutare velit *Carolus Arnaboldi*, discipulus gymnasii Lucanensis. Domicilium: Lugano, Via Pessina 12.

¹ emeletes = stöckig = à étage ² sorolni = zählen = compter ³ kárpótlásul = zur Entschädigung = en dédommagement ⁴ kinevez = ernennen = nommer ⁵ jelentkezni = sich melden = présenter ses papiers ⁶ kerékpár = Fahrrad = bicyclette

De monumento Francisci Rákóczi II.

Qui circiter viginti ante annis Cassoviae verisabatur et nunc hanc urbem nobilissimam imperio Cechoslovacorum liberatam revisunt,¹ praeter multa nova aedificia valde admirantur monumentum principis Fr. Rákóczi II., quod in pariete clarissimae aedis cathedralis positum est. Hoc enim monumentum adversissimis temporibus incolisque pristinae Hungariae superioris maxime periculosus paratum est, qui multa dura a Cechis consecrare possent mundo admodum caeco surdoque quasi magnā voce declarantes se Hungaros, etiamsi a Cechis regerentur, vivere locumque sub sole habere. Monumento imago² caelata³ illius principis toti nationi Hungaricae acceptissimi³ atque inscriptio ostenduntur, quam lectoribus IUVENTUTIS iterum publicamus (vide pag. 14 m. Sept. a. 1938):

«In sepulcro huius avitae⁴ ecclesiae requiescent in Domino ossa principis Francisci Rákóczi II., matris eius Hel.⁵ Zerinae⁵ et filii Iosephi, nec⁶ non⁶ trium fidelium sociorum, quos omnes infausta sorte per duo saecula patria extorres⁷ grata posteritas ex terra diuturni exilii devote⁸ rettulit et die 29. mensis Octobris anni 1906 in hoc loco sacro honestissimo cum exsequiarum⁹ cultu ad quietem tranquillam pie ac digne denuo collocavit.

(Sub imagine principis) Siste,¹⁰ viator! Honora tantorum heroum magna merita et praeclaram memoriam!


Monumentum hoc posuit senatus populusque huius civitatis anno Domini 1938.»

Opus a nobis descriptum paene assidue floribus semper virentibus ornatum est. Decet Hungaros hoc monumentum externum insignibus pietatis suae decorare potius, quam omnibus occasionibus intrare atque turbare silentium sepulcri in imo templo positi, ubi pulvis principis illius maximi in aeternum quiescere vult. *Arnoldus Pányi* (Cassovia).

¹ újra felkeres = wieder besuchen = venir voir de nouveau ² dombormű = Relief = relief ³ szerezett, kedvelt = geliebt = aimé ⁴ antiques ⁵ Helenae Zriny ⁶ nemkülönben = so auch = et encore ⁷ száműzött = verbannt = exilé ⁸ tisztelettel = ehrfurchtsvoll = plein de respect ⁹ temetés = Begräbnis = obsèques ¹⁰ állj meg = halt = arrêtez-vous



Circulus lectorum IUVENTUTIS in gymnasio Hungarico Cassoviensi cum magistris *Arnoldo Pányi* et *Joanne Kelemen*.



Tabula memorialis latina Rákócziana et sarcophagi principis familiaeque eius.

Alexander Petöfi: Contrepidat vepres.

In hexametris divisit Ladislaus Juhász Szegediensis.

Contrepidat vepres,
in eum quia avicla¹ volavit,
Contrepidat mi animus,
quia tu in mentem veniebas.
Venisti in mentem,
venisti, parva puella,
Orbis terrarum
tu adamas² quam maxime magni.

Danubius fortasse
exundat margine plenus,
Corde meo haud claudi
secus ille potest amor ingens.
Num, rosa, me, mea, amas?
vere vehementer amo te;
Non pater aut mater
te possunt me mage³ amare.

Una cum fuimus,
me a te scivi esse adamatum;
Tum aestas fervida erat,
nunc at gelidissima hiems est.
Tu me plus nisi ames,
benedicat, cara, Deus te,
At, si forte me amas,
benedicat terque quaterque.

¹ avicula ² gyémánt = Diamant = diamant ³ magis

LECTORIBUS MINIMIS

Jocosa et salse dicta.

1. Magister (ad discipulum): Quare heri disciplinae¹ Latinae non adfuisti? — Discipulus: Domine magister, tam raucus² eram, ut ne³ hungarice quidem³ loqui possem.

2. Filius: Pater, potesne nomen tuum oculis clausis describere? — Pater: Possum. — Filius: Tum subscribe nomen tuum testimonio meo!

3. Aegrotus: Domine medice, si mortuus ero, aperi⁴ corpus meum! — Medicus: Quare? — Aegrotus: Velim cognoscere, quo morbo mortuus sim.

4. Sacerdos: E pulvere facti sumus et pulvis fiemus. — Discipulus: Nonne, e Nigrita⁵ pulvis carbonis⁶ fit?

Clara Komlós disc. Angelani (Scarabantiae).

I. Alphonsus Karr (1808—1890) vir⁷ festivus⁷ Francogallicus dixit: «Omnes homines 3 (ternas) naturas habent; primam dicunt se habere, secundam non habentes tamen putant se habere, tertia est, quam verè habent».

II. Princeps Carolus Talleyrand-Périgord (1754—1838) vir civitatis⁸ regendae⁸ peritus⁸ aliquando raedam⁹ splendidam emit, sed pretium diu non solvit.¹⁰ Aliquando venit ad eum fabricator raedae pecuniam suam poscens. «Oportet, te pecuniam accipere!» — dixit Talleyrand. — «Valde gratus ero!» — «Gratus esse non debes.» — «Accipio ergo pecuniam?» — interrogavit fabricator laetus. — «Sane¹¹ quidem¹¹ accipies!» — «Quando?» — «Quando? . . . Tu es vere curiosus» — inquit princeps et terga vertit homini molesto.

III. Carolus Rivière du Fresny (1628—1724) poeta scenicus valde prodigus¹² et paratus erat omnia facere, ut pecuniam conficeret.¹³ Aliquando lavatrix¹⁴ ad eum venit orans, ut debitum¹⁵ 40 (quadraginta) thalerorum solveret, quibus sibi opus esset, nam cuidam medico nubere vellet. «Tu igitur plus pecuniae habes?» — interrogavit du Fresny — «namque invenieturne medicus, qui te quadraginta thaleros accipiens uxorem ducat?» — «Ego equidem plus pecuniae habeo, respondit puella, praeter hos 40 habeo 200 (ducentos) thaleros.» — «Ducentos thaleros? ! Da hos thaleros mihi et tuus maritus ero.» Puella de matrimonio consensit et uxor scriptoris facta est. Petrus Szente disc. Ceglédiensis.

¹ óra = Stunde = leçon ² rekedt = heiser = rauque
³ még . . . sem = nicht einmal = pas même ⁴ felboncol = sezieren = disséquer ⁵ néger = Neger = nègre ⁶ szén = Kohle = charbon ⁷ humorista = ⁸ államférfi = Staatsmann = politicien ⁹ kocsi = Wagen = voiture ¹⁰ kifizet = auszahlen = payer ¹¹ hát persze = ja freilich = mais oui ¹² pazarló = verschwenderisch = prodigue ¹³ előteremt = auftreiben = se procurer ¹⁴ mosónő = Wäscherin = blanchisseuse ¹⁵ tartozás = Schuld = dette

Facultas¹ observationis.¹ Ad praelectionem² Bechi, medici clari iocosque amantis, homines multi convenerunt. Inter cetera Bechi declaravit haec: «Medicus bonus facultatem bonam observationis et stomachum³ sanum habere debet». Ante professorem in mensa vas stabat, in quo fluidum gilvum⁴ et suspectum erat. Professor digitum in

¹ megfigyelőképesség = Beobachtungsgabe = finesse d'observation ² előadás = Vortrag = conférence ³ gyomor = Magen = estomac ⁴ sárga = gelb = jaune

fluidum inseruit⁵, deinde subito lambit. Bechi iuvenes invitavit, ut exemplum sequerentur. Alius post alium ad mensam iit et fecit, quod professor eos facere iussit. Post experimentum Bechi fronte contracta⁶ dixit: «Domini, vos certum stomachum bonum, sed facultatem observationis malam habetis, vos enim oculis non percepistis me alium digitum in fluidum inseruisse atque⁷ in os».

Agnes Salamon disc. Angelani Bp.

1. *Error gravis*. «Nuperrime⁸ maxime perterritus sum» — narrat Iosephus Ladislao. — «Accepi epistolam, in qua perterrita legi patrem meum mortuum esse. Postea iterum perlegi epistolam et maxima cum allevatione⁹ vidi epistolam non ad me, sed ad fratrem meum scriptam esse. Maximā curā liberatus sum!»

2. Parricida adducitur in iudicium.¹⁰ «Cognoscis-ne hunc pugionem?»¹¹ — interrogat iudex, monstrans ei pugionem, indicium sceleris. — «Non cognosco!» — respondit parricida. — «Itaque infitiaris¹² scelus tuum — dicit iudex —, custodes, ducite eum in carcerem!» — Postero die iudex iterum adduci iubet parricidam et iterum monstrat ei pugionem et interrogat: «Cognoscis-ne hunc pugionem?» — «Cognosco» — respondit parricida. «Deo gratias — dicit iudex —, quod iam confitearis! Et dic, unde cognoscas?» — «Domine iudex, tu mihi heri monstravisti» — respondit ille.

Éva Nemes disc. Elisabethei Bp.

⁵beledug = hineinstecken = passer ⁶összeráncol = runzeln = ride ⁷mint = als = que ⁸minapában = unlängst = naguère ⁹megkönnyebbülés = Erleichterung = allègement ¹⁰törvényszék = Gericht = tribunal ¹¹tör = Dolch = poignard ¹²tagad = leugnen = nier

Digitabulum¹ Othellonis. Princeps² gregis³ histriorum⁴ clarissimus, Wohlstadt, qui multos per annos in urbe Cassella (Kassel) partes⁵ agebat,⁶ aliquando, sicut senex quisque amat narrare de annis theatricalibus, hanc historiam hilarem narravit: «Semel partes Othellonis in scena egi. Magnopere festinans⁷ oblitus sum manus nigro⁸ colore⁹ inficere.¹⁰ Cum in scenam prodii, spectatores magnum cachinnum¹¹ sustulerunt.¹² Bonus histrio ab se¹³ ipso¹⁴ petit¹⁵ auxilium.¹⁶ Ergo dum intercapedo¹⁷ ludendi¹⁸ erat, manus meas nigro colore infeci, deinde a vestiario¹⁹ digitabula coloris corporei petivi, quae celeriter manibus meis indui. Cum in proximo actu iterum in scenam prodii, et nobili motu digitabulum exui, spectatores acriter applausērunt ioco et successui.

Hugo Rácz disc. Makonensis.

¹kesztyű = Handschuh = gants ²szinigazgató = Schauspielerektor = directeur de théâtre ³(szerepel) játszik = (Rolle) spielen = jouer (un rôle) ⁴sietségemben = in der Eile = dans ma hâte ⁵feketére festeni = schwarz schminken = noircir ⁶kacagásra fakad = ein Gelächter erheben = éclater de rire ⁷segíteni igyekszik magán = sich selbst zu helfen suchen = chercher à s'aider ⁸felvonásköz = Zwischenakt = entr'acte ⁹ruhatáros = Gewandmeister = préposé vestiaire

Stephanus e comitibus Széchenyi dixit:
«... Homo sapiens non retro, sed ante se spectat, et pro fletu opum amissarum, videt, quid conservare potuerit et illis contentus paulatim plus sibi parare conatur».

Georgina Gáspár disc. Szolnokiensis.

Petőfi: Dies cruentos somnio...

Convertit: Vinc. Bors Szegedinensis.

*Dies cruentos somnio,
Qui diruunt orbem terrarum,
Et in ruinis perdit
Mundum creant novum praeclarum.*

*Sonent, sonent iam utinam
Tubae canorae dimicandi!
Ad arma signum conclamans
Exspecto corde aestuanti!*

*Insilium manni mei
In sellam gaudio elatus!
Et inter heroes vehar
Equo citato tum beatus!*

*Meo conciso pectore
Erit, quae id liget cum cura
Et osculorum balsamo
Volnus meum sit sanatura.*

*Me capt(o) erit, quae veniat
In carcerem tenebrosam,
Serenet ut tristem locum
Stellis suorum oculorum.*

*Me mortuo, me mortuo
Pugnae loco vel in catasta,
Erit cruorem lacrimis
De me lotura quaedam casta!*



Pittacia beneficalia rei aeronauticae Hungariae dedicata.

LECTORIBUS MAIORIBUS

Doctor Joannes Scheffler,

amicus iuventutis Hungaricae et Juventutis ephemeridis nostrae Episcopus Szatmáriensis novus a. 1887. prope oppidum Nagykaroly in vico Kálmánd patre agricola natus in Universitate Budapestinensi doctor SS. Theologiae sub auspiciis regis promotus est. Etiam Romae, in Univer-



Joannes Scheffler novus episcopus Szatmáriensis.

sitate Gregoriana doctor Iuris Canonici summa cum laude inauguratus esse commemoratur. Discipulos Ungvárienses, Nagymajtényienses, Szatmárienses, clericos (dioeceseos) Szatmárienses, Magnovaradienses, auditores in Universitate Claudiopolitana docens non modo mentem, verum etiam animum, voluntatem, cor lucraturus sicut Magister Summus, Dominus Jesus, et ipse pater iuvenum erat. Liberi parentum pauperum, qui studia sine auxilio et praesidio eius incipere vel absolvere non potuissent, haud pauci inveniuntur.

Hungaria, patria nostra mutilata invasione Rumenica eruditio et disciplina Hungarica in Gymn. Regio Cath. Szatmáriensi interrupta est. Dr. Joannes Scheffler ab episcopo Szatmáriensi p. m., Tiburtio Boromissza, magistris et discipulis gymnasii a Rumenis occupati, a parentibus iuventutis quoque laudabiliter adiutus in aedibus Praeparandiae magistrorum scholae elementaris cum suppellectilibus ab Episcopatu Szatmáriensi traditis novum gymnasium catholicum dioecesanum constituit, cuius director merito electus rebus magistrorum minus secundis intentus nihil praetermitteret, quin saltem panis quotidianus suppedicaret, et aequo animo curae sibi habebat, ne familiae ad egestatem redigerentur.

Nunc praesul revertitur, ut pater animarum, pater gentium apostolicus existet, vere exemplum iuvenum magistrorumque necnon magistratum omnium gloriosum fiat. Cum in quinque comitatibus campanae sonant, literae

ephemeridis nostrae, Iuventutis ante solum praedecessorum egregiorum, Joannis Hám, cuius memoria omnibus sacrosancta est, Laurentii Schlauch Cardinalis, Julii Meszlényi, Tiburtii Boromissza sic ordinem constituuntur ad novum et dignissimum Praesulem salutandum.

Joannes Rónai magister gymn. Szatmáriensis.

Regia proles, exemplarque regium.

(De centenario VII. Beatae Margarethae.)

Praesentibus diebus etiam natio Hungarica difficillima tempora transigit. Hoc enim ipso tempore, cum secundum verba virorum regiminis «*in vita nationis tempus agendi instat*» figura illius B. Margarethae de genere Árpád nobis apparet, «*quam cum adhuc mater sua regina gestaret in utero, tempore tartaricae persecutionis pro liberatione sua et regni pariter cum rege marito suo quasi piaculum quoddam si filia nasceretur, ut sanctimoniam eam facerent, devoverunt.*»

Margaretha Belae IV. regis Hungariae filia anno 1242 nata est in arce Turóc, hodie Znióvárálja. Cum esset annorum trium vel paucio plus, claustrum ordinis praedicatorum in civitate Vesprimiensi est commendata. «*ut ab ipsa tenera aetate regularibus consuetudinibus imbueretur*» et «*esset monacha et serviret Deo*». Mox autem, cum aetatis suae annorum ageret decimum, collocata est in claustrum Budae in insula Nyulak nominata, quae hodie ob memoriam eius «*Margit-sziget*» nominatur, ubi vita devota obsecravit Deum pro parentibus et patria usque ad mortem suam (anno 1272).

Septimo iam nativitatis B. Margarethae redeunte centenario item splendidum vitae eius brevis, sed praefulgens exemplar admiratur. Etsi haud diu vixit, tamen magna implevit: in spiritu humilitatis virginitatisque suae aedificabuntur saecula Hungariae laboriosa. Imitando hunc se subiicendi auctoritati modum et hanc castitatem iuventus Hungarica gloriosa pugnarum vexilla reportabit ac sudore gravis sui laboris novum millennium initiabit!


Adalbertus Harhai theologus Vacienis.

Librorum recensio.

Cantileum Canticorum, quod latine vertit Sanctus Eusebius *Hieronymus*. — Az Énekek Éneke Szent Jeromos latin fordításában. *Kerényi Károly* bevezetésével és párhuzamos magyar szövegével. Officina. Budapest. 1941. Pag. 45. Pretium 1.90 pengoe.

In praefatione editor doctissimus primum linguam angelicam Sancti Hieronymi, quae sapes et colores omnes subtiliter reddit, et monumentum pulcherrimum Latinitatis vivae posterioris est, celebrat. Mox difficultates interpretationis Cantici Cant. explicat: Canticum enim nostrum, sicut opera Homeri, exeunte saeculo XVIII in carmina dissipata dissectum est. Varietas scenarum sine dubio admirabilis est: sponsa, quae memoriam vivam sponsi — iuvenis Arabici nomadis — in regiam Salamoni regis secum fert, nunc in cubiculo regis moratur, sed momento temporis proximo una cum sponso in cella vinaria est. At idem sponsus in imagine proxima per montes saliens venit, et sponsam per fenestras regiae aspicit. Quam ob rem *Goethe* et *Renan* Canticum nostrum poema dramaticum putabant. Sed Canticum Cant. drama verum in scena actum esse non potest. Nam haud eventus externi, qui tres tantum sunt (puellae post sponsum currentes, aemulatio amatoriae regis et puellae, reditus puellae ad sponsum nomadem), sed *visiones* sponsae amantis hallucinantem variatione tanta abundant. Amor igitur «*fortis, ut mors*» fons imaginum coloris et caloris plenarum Cantici Cant. est. Libellus extra et intra pulcherrimus maxime dignus attentione nostra est.

Dionysius Kővendi. (Kunszentmiklós.)



Halasy-Nagy József A politikai tudomány kezdetel (*politicarum scientiarum initia*) **Platon és Aristoteles.** Parthenon. A klasszikus Műveltség Barátság Egyesülete. Budapest, 1942. Pag. 93. Pretium 2.80 pengoe.

Sicut multarum scientiarum, ita politicarum quoque constat fundamenta et primordia in Graecia esse iacta et inde latius emanasse. Politicarum vero scientiarum conditores nemo nescit summos Graecorum philosophos Platonem et Aristotelem fuisse. Quorum virorum scripta politica et doctrinae rempublicam spectantes hoc libello, quem Iosephus Halasy-Nagy, philosophiae Graecae scientificissimus vir conscripsit, produntur et exponuntur. Is primum tribus huius generis libris: Republica, Legibus et Gorgia nisus de Platonis rationibus exstruendae et exaedificandae cuiusdam perfectissimae reipublicae, cuius speciem Plato animo concepit, post Aristotelis descriptione rerum publicarum Graecarum disserit, atque ita disserit, ut ratio, quae inter Platonem et Aristotelem et recentiorum scriptorum scripta politica intercedat, evidenter nobis ostendatur. Imprimis praeclara et significans est Platonis et Aristotelis inter se comparatio. Iosephi Halasy-Nagy disputationes et inquisitiones sunt faciles perceptu ac dilucidae, ne dicam paene perlucidae. Non possum denique facere, quin huius libelli auctoris verba ipsissima, quae pagina 87. leguntur, offeram: «Neque is, qui de politicis scientiis meditatatur, neque vir civilis rempublicam capessens, qui res ex sublimiore fastigio spectare velit, Aristotelis Politica, si doctior velit fieri, praeterire possit; non ab re esset hunc Aristotelis librum viris in republica regenda versantibus, ut noctibus insomnibus intenti legant, in mensa apud lectum collocata apponere, id quod nobis quoque omnibus prodesset».

Tusculum-Schriften. Ernst Heimeran Verlag, München. Pretium singulorum fasciculorum: 60 Pf.

5. Hans Poeschel; Kunst und Künstler im antiken Urteil. (Artes artificesque in iudiciis antiquorum.) 1926. Pag. 50. Lepidissimi istius libelli auctor incipiens nobis narrare artificum vitam et conditionem Graecae antiquitatis temporibus, cum artificia et opera maxime florent, humillimam contemptissimamque et cum opificibus eodem loco et numero habitam fuisse exceptis pictoribus, artem vero ipsam maximi factam fuisse, bellissimis narratiunculis et fabellis de vitis et artibus artificum in medio positis nos leviter et tanquam ludibundus ad historiam artificiorum et operum cognoscendam praeparat atque intelligentia subtilium et gravissimarum de artificii Graecis et Latinis quaestionum faceti narratoris et festive confabulantis in modum imbuat. Hic libellus exigui circuitus artium Graecarum historiam cognoscere auspiciantibus commendandus vasti voluminis instar est.

8. Arthur Mentz: Antike Stenographie (antiqua tachygraphia). 1927. Pag. 30. Arturus Mentz historiam succinctam et summam antiquae tachygraphiae ab expositione et explanatione notarum Tironianarum incipiens conscripsit exposuitque procedentibus temporibus quas mutationes et variationes tachygraphia antiqua experta esset. Etiam Graecam tachygraphiam leviter describit. Deinde per medium aevum pergens usque ad renatas litteras fata tachygraphiae enarrat. Qui brevem cognitionem tachygraphiae antiquae habere volent, cum emolumento hunc libellum evolvant.

Car. Acs. Bp.

26. Walther Vetter; Antike Musik. (Ars musica antiqua.) 1935. Pag. 38. Quamquam ars musica hisce temporibus ad gradum perfectionis multo maiorem pervenit, quam in antiquitate, tamen nunquam philosophi et paedagogi de vi et effectu huius artis a corporibus seductae toties et tantum disseruerunt, quantum Graeci videntes hac arte et aegrotos facilius sanari, et animos ad virtutes melius incitari, sed etiam fortes, nisi cura necessaria in iuventute educanda adhibeatur, effeminari posse. Prof. Vetter imprimis has sententias antiquorum tractat, deinde breviter

exponit historiam artis musicae et vocalis quae dicitur et instrumentalis. Liber iucundissime scriptus, 4 exemplis notarum musicarum instructus praeterea etiam pulchris imaginibus ornatus sine dubio omnibus, qui perlegerint, placebit.
I. W.

AENIGMATA.

Solutiones aenigmatum numeri VII (m. Mart.):

1. An-as: anas. — 2. Luna, uter, nemo, Aron. — 3. Canis, amas, nam, is, s. — 4. S, is, lis, Elis, velis. — 5. Publius Vergilius Maro. — 6. Nil nimium studeo, Caesar, tibi velle placere nec scire, utrum sis albus an ater homo. — 7. Est modus in rebus. — 8. Pater noster. — 9. Arma, cura, sine, tres, vale, soli: accusativus. — 10. Mora, raro, Roma, male, Leda, dare, rete, temo. — 11. Iuppiter, Ulricus, vacca, extra, Numitor, Tiberis, ursa, septem: *Iuventus*. — 12. Caelum non animum. Afflavit Deus. Magnos homines. Impedit ira animum. Lepores duos. Legem brevem esse oportet. Ut desint vires. Se vincere ipsum: *Camillus*.

Aenigmata recte dissolverunt: I. In Hungaria: G. Moldoványi (*Werbőczyanum*), G. Germán, L. Rakovszky, M. Révy, V. Szlávák, A. Fridli, C. Ludwig, S. Szalay, A. Kádár, E. Bányai, M. Blandl, M. Dischka, A. Salamon, E. Szál, M. Göntér, A. Ürményi, E. Bechine (*Angolanum*), **Emericus Havas**, St. Grósz (*Scholae Piae*), E. Brámer, E. König, **Catharina Szécsi**, M. Fendrich, S. Frank, J. Györgyey, E. Hartmann, E. Schlinger, V. Stein, V. Abonyi, C. Guttman, E. Weisz, C. Liebreich, Cl. Hajdú, C. Burger, C. Osvát (*Veresianum*), M. Bán, **Zoltanus Baróti**, O. Benyó, St. Bóti, J. Erdős, H. Farkas, G. Fekete, L. Ferenczy, P. Forgách, G. Grécsi, St. Haás, Th. Hirschfeld, Th. Kálmán, L. Kreutle, P. Dobó, Z. Molnár, St. Lukács, Al. Nemes, O. Orient, L. Serényi, R. Serényi, T. Stiller, G. Várnai, M. Vörös, E. Weisz, J. Zigler, O. Beck, R. Deutsch, N. Erdély, St. Kőbán, St. Puchmann, Fr. Szűcs, Z. Tóth, C. Vadadi, St. Avar, B. Balogh, G. Baranyai, St. Farkasházi, St. Grünberger, G. Hajdú, E. Gárdosi, **Carolus Somfai**, G. Kiss, N. Münster, Th. Rózsa, L. Szakács, R. Szebeni, Fr. Szónyi, G. Strausz, C. Teleki, J. Zaborecz, **Joannes Bak** (*Berzsenyanum*), J. Blaschik (*Madáchianum*), E. Baksay, S. Becher, C. Bobkó, H. Deák, J. Hübner, A. Imrédy, J. Johny, C. Kozma, E. Lovich, S. Regőczy, Cl. Simonyi, Cl. Soltész, A. Szabó, Th. Szabados, **Maria Vayk**, M. Veress, G. Verzár, J. Wettstein, G. Altorjay, M. Bartha, Cl. Balla, M. Buzadics, M. Demkó, E. Földváry, M. Halmy, G. Kincsesy, M. Kincses, A. Kurovsky, M. Legeza, M. Lőrinczy, E. Kohl, H. Rédly, Cl. Solti, J. Szilágyi, E. Vajna, **Margaretha Grabits**, I. Ajtay, M. Árvay, E. Bánlaky, E. Battlay, E. Belle, M. Bókay, sorores Bolza, A. Bródy, M. Demkó, C. Dobó, M. Farkas, M. Frank, E. Gerő, E. Hajós, M. Hankovszky, **Editha Keresztes**, S. Kéler, E. Kiszely, M. Kmety, E. Koloszar, L. Lippert, E. Miskey, A. Pálffy, S. Ruzsicska, C. Szabolcs, M. Szalay, U. Szesztopal, M. Wahlner, M. Ziegler (*Sophianum*), L. Várady (*Fayanum*), **Eva Nemes** (*Elisabetheum*), **Zoltanus Blró** (*gymn. conf. Helv.*), **Bela Árkosi** (*gymn. Cisterciensium*), V. Árvay, M. Bartha, E. Böhm, P. Cholnoky, H. Eckhardt, T. Elekes, L. Faust, I. Fáy, Cl. Göbler, V. Hoffmann, N. Horváth, S. Kálmán, Fr. Kerényi, M. Kertész, E. Kis, H. Korompay, **Eva Madocsay**, G. Margittay, M. Pieke, S. Pollacsek, M. Soltész, E. Somogyi, M. Székely, A. Sziberth, Au. Turner, I. Vaszkó (*Szilágyianum*) *Buda-pestinenses*. **Ludovicus Knap**, St. Berényi, A. Boross, St. Garamvölgyi, St. Szász, G. Porjesz, L. Scherg, Fr. Váczi, St. Vass, St. Csernus-Lukács, M. Dunaháti-Vass, L. Bugner, L. Lakatos, A. Mátéfy, M. Csernák, Fr. Fekete, J. Jancsó, J. Kárász, Z. Pálffy *Szentesiensis*. **Eva Bagdy** (*Dócianum*) *Debrecinensis*. J. Iglói, E. Keller, Z. Nagy, **Ladislauis Bán-sági Dombovariensis**. L. et J. et N. Horti, **Geysa Mizsel** *Jászberenyensis*. E. Rafael, Fr. Gyulai, **Desiderius Szabó** (*gymn.*

Unit.) *Claudiopolitani*. **Julius Magyar** *Magyarovariensis*. J. Szendrei *Makonensis*. Classis V A) (*Fraterianum*) *Miskolciensis*. J. Schmidt, G. Adler, **Ladislau Blechner** *Mohácsiensis*. Fr. Kreiner *M.-Canissanus*. M. Csengery, L. Csurrilla, M. Koch, M. Krajesik, J. Molnár, H. Pintér, V. Schág, P. Szinay, E. Tóth, **Aurelia Nagy**, I. Szabó, H. Csák, C. Gombos, H. Kántor, E. Bagossy, Cl. Kató, M. Török, (*Szilagyianum*) *M.-Varadinenses*. **Bela Lakatos**, A. Horváthi, L. Almásy (*Klauzalianum*) *Szegedinenses*. E. Takáts *Zalaegerszegiensis*. II. In Helvetia: M. Martignoni *Lucanensis*, **Petrus Kadler** *Glaronensis*.

Crassis litteris indicantur, quibus praemium ab Societate Mag. Cath. Med. Schol. dono datum sorte obvenit.

1—2. Quadrata magica.

1	2	3	4	
				A A C C 1. Veneror, honoro.
				L L L M 2. Avis alba aquatilis.
				O O O O 3. Regiones.
				O O R R 4. Litus, ripam.

Fabius Ferrari disc. *Lucanensis* (Helvetia).

1.	2.	3.	4.	5.	
					A A A A A
					A C C E E
					I I N N N
					N O O R R
					R S S T T

1. Bestia domestica.
2. Ibi gladiatores pugnabant.
3. Interficit, occidit.
4. Aratro scindo.
5. Auctor, genitor.

Maria Weissenbach disc. *Lucanensis*.

3. Aenigma adamanticum.

1	2	3	4	5	6	7	
			.				A
			A A A
		A A C C I
	I L L L L M M
		S S S S S
	.	.	.				S U U
	.						U

1. Stat consonans loco primo. 2. Cibos secundo condio.
3. Post sanitas haec sequitur. 4. Si ventus non flat, dicitur.
5. Quinto loco sunt arbores. 6. Formam verbi «sum» hic habes.
7. Vocalis est pars ultima, qua terminatur aenigma.

Eva Nemes disc. *Elisabethei* Bp.

4. Logogriphus.

*Ex alto venio, delapsa longa ruina
De caelo medias cecidi transmissa per auras,
Et sinus effudit me, qui prius ipse recepit.
Sex literas habeo, sunt omnes dissimiles, sed
Solvendi meus est exitus en via iam.*

Stephanus Hawani disc. *Gyöngyösiensis*.

5—6. Chartae visitantium.

P. C. Ornolus.

G. C. Harato.

Litteris recte dispositis accipies 4. magistratum provincias regentem, 5. urbem hostium Romae antiquae.

Genoveva Marosszéki disc. *Angelani* Bp.

7. Pyramis.

1	Consonans.
2 1	Pronomen determinativum.
3 2 1	Adverbium numerale.
4 3 2 1	Discedis, proficisceris.
5 4 3 2 1	Genitivus morbi crudelis.
6 5 4 3 2 1	Contrarium verbi: sedebis.

Geysa Tokaji disc. *Makonensis*.

8—9. Ad saltum equulei.

	can-	da	re.		sub-	cau-	tri-
de	bus	gr-	de		rum	um	fa-
den-	et	ra	di-	ce-	las	sa	stis
at-	ni-	ti-	is			mo-	re.
	Can-	fa-				Ha-	sub

7. Est dictum Ovidii, 8. Plauti.

Petrus Vette disc. *Kaatsheuveliensis* (Hollandia).

10. Crucigramma.

1	2	3	4	5	6
		7		8	
	8		9		
	10		11		
12	13				

Ad libram: 1. Poëta epigrammatum Latinorum clarus. 7. Fluvius in Tiberim influens (ultima litera abest). 8. Potio alba (retrosum legenda). 9. Coniunctio negativa. 10. Complet. 12. M. 13. Vir fortissimus, qui dextram combussit.

Ad perpendicularum: 2. Loci muniti (gen).. 3. Bestia subterranea. 4. Praepositio. 5. Favor, gratia (retrosum leg.). 6. Potio alba (dat., retrosum leg.). 11. LE.

Bela Arkosi disc. *Cisterciensium* Bp.

Nota. Lectoribus minimis: 1—6, mediis et maioribus 7—10. — Quisquis aenigmatum tot solvat, quantum potest. Etiam unum solum aenigma solventibus praemium petere licet. Discipuli eiusdem scholae solutiones a professore suo collectas in communi involucro epistolulae ad moderatorem *J. Wagner* (*Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20.*) mittant. (Egy-egy iskola tanulói rejtvénymegfejtéseiket közös borítékban küldjék be a szerkesztőségbe.)

Terminus solutionum: Calendae Juniae.

Epistolia officialia.

Corrigenda num. 8 (m. Apr.): pag. 71: pro «delectant» lege: delectant.

Mense Aprili ab 29 lectoribus sociisque opuscula varia accepi. Quia plus 3 chilogrammata manuscriptorum in mensa mea scriptoria iacent edenda, omnes monentur, ne quid hoc anno scholastico in IUVENTUTE publicandi causa scribant.